

porale certamen, parum omnino inde lucratur in hac vita, et in alia prorsus nihil. Similis locus est I Corinth. ix. *Qui in agone contendit, ab omnibus se abstinere, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* (1).

Porro, sanctus Joannes Chrysostomus non solum docet, Apostolum non loqui hoc loco de jejunio, sed etiam refellit eos, qui contra sentiunt. Neque enim credibile est, Apostolum vocaturum fuisse jejunium corporalem exercitationem, cum jejunium ad corpus extenuandum, non ad confirmandum referatur; et cum sit vere spiritualis et cœlestis exercitatio. Deinde, quomodo diceret idem Apostolus, jejunium ad modicum valere, cum ipse idem ad jejunium tam frequenter, et verbo, et exemplo discipulos hortaretur? Denique, numquam Apostolus jejunio pietatem opponeret, quæ habet promissionem vitæ, quæ nunc est, et futuræ, cum id maxime conveniat jejunio, ut in hac vita sanitatem efficiat et conservet, ut patet ex cap. i. Danielis: et in alia mercedem accipiat a Patre cœlesti, juxta promissionem Domini, Matth. vi. Itaque recte S. Leo, serm. i. de jejunio Pentecostes: « Sequitur, inquit, solemne jejunium, quod animis, corporibusque curandis salubriter institutum, devota nobis est observantia celebrandum.

Quarto, objicit Kemnitius, quod Lucæ 18. Pharisæus allegans jejunia sua justificatus non fuerit, et quod Matth. ix. Christus opinionem, qua Pharisæi jejunabant, comparaverit vestibus detritis, quibus Evangelii novitas non conveniat. Ex quibus locis manifestum esse dicit, jejunium improbari et rejici a Deo, si suscipiantur opinione Pharisæica, vel ad ostentationem, vel ad meritum, satisfactionem, seu justificationem.

Respondeo: Quod attinet ad priorem locum, Pharisæus non ideo justificatus non est, quia jejunabat bis in Sabbato, aut quia jejunium ad justificationem aliquid valere existimabat, sed quia superbe ostentabat bona opera sua, et alios contemnebat. Dominus enim anteposuit Publicanum Pharisæo, quia humilis erat, et Pharisæus superbus, non quia Pharisæus jejunabat, et Publicanus non jejunabat. *Descendit, inquit, hic justificatus ab illo, quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.*

(1) I Cor. IX, 45.

De altero testimonio ex cap. ix. Matth. disseruimus supra, ubi ostendimus, manifeste errare Kemnitium, dum jejunium detritis vestibus comparatum esse docet, cum potius contra novis sit vestibus comparatum.

Quod autem Kemnitius eandem rationem esse vult jejunii ad ostentationem, et ad meritum, satisfactionem, et justificationem, facit more suo, qui solet omnia confundere. Nam jejunium ad ostentationem malum esse, et in Scripturis passim reprehensum notum est ex cap. vi. Matth. xviii. Lucæ, et ex aliis locis. Jejunium autem ad meritum acquirendum, vel ad satisfaciendum pro peccatis, in Scripturis non solum non reprehendi, vel etiam probari et laudari, multis testimoniis et exemplis superiore capite demonstravimus.

Quinto, objicit idem Kemnitius, cap. ii. ad Colossenses, ubi (ut ipse dicit) Paulus reprehendit et damnat factitias, seu electitias illas religiones, quæ in cibis, qui ipso usu consumuntur, cultum Dei constituunt; et juxta traditiones hominum sub specie humilitatis, et severioris disciplinæ corpori non parcunt, sed illud ita vexant, affligunt et macerant (hoc enim significat ἀπειρεῖα) ut debitum honorem necessaria sustentatione, et convenienti curatione ei non tribuant. Atque in hac disciplinæ severitate cultum Dei constituunt.

Respondeo: Duo quædam Paulus reprehendit. Primum, cultum Dei in cibi, potusque abstinentia situm, non quemcumque, sed supersticiosum et falsum. Nam vox ἐθειλοθηρησεία, tametsi sonet cultum voluntarium, tamen non significat cultum voluntarium, ut distinguitur a cultu imperato et necessario, sed ut distinguitur a cultu rationabili. Illa enim dicuntur interdum voluntaria, quæ non habent fundamentum rationis, sed ideo fiunt, quia sic libet. Reprehendit igitur Apostolus abstinentiam Judæorum, vel hæreticorum, qui putabant, cibos aliquos per se esse immundos, et in eo religionem constituebant, si cibos ejusmodi numquam gustarent. Quæ religio voluntaria et falsa, ac supersticiosa merito nominatur, quoniam non fundatur in Scripturis, aut in aliqua solida ratione, sed in deliratione et somniis, vel potius in voluntate quorundam hæresiarcharum. Abstinentia autem Catho-

licorum ἐθειλοθηρησεία dici non potest, et multo minus cultus factitius, vel electitius, ut eum Kemnitius vocat, quoniam Catholici non fingunt ex capite suo, Deo gratam esse suam abstinentiam, sed ex testimoniis et exemplis Scripturæ, et Patrum colligunt, ut superiore capite demonstravimus.

Secundo, reprehendit Apostolus eos, qui sine moderatione jejunant, ita ut non parcant corpori, neque ei suppeditent quæ sunt ad vitam, vel ad sanitatem necessaria. Ita enim hunc locum interpretatur Chrysostomus in Commentario, et sanctus Hieronymus in epist. ad Algasiam, quæst. 10. Atque hoc ipsum Catholici omnes libentissime confitentur. Castigari enim et affligi volumus carnem, ut Scripturæ faciendum esse docent, non autem interimi, aut morbum contrahere.

Sed est etiam alia ejusdem loci expositio apud sanctum Augustinum, in epistol. 59. ad Paulinum, quæ sententiam nostram plane confirmat. Scribit enim Augustinus, notari, ac reprehendi ab Apostolo illos, qui videntur non sine ratione jejunare, cum id videantur referre ad corpus castigandum et cor humiliandum; sed tamen revera non propter hoc potissimum, sed propter superstitionem suam jejunant, qua videlicet sibi persuaserunt, cibos aliquos natura sua esse immundos. Itaque ex Augustini sententia non reprehenduntur hoc loco, qui carnem jejuniis affligunt, et in ea re cultum aliquem, id est, opus Deo gratum constituunt: sed illi qui videntur ea de causa jejuniis operam dare, re autem vera superstitionem suam per abstinentiam illam alere et augere conantur.

Sexto, objicit idem Kemnitius, quod meritum, aut satisfactionem in jejunio ponere, sit fundamentum redemptionis et salutis negare.

Sed argumentum est commune contra omnia bona opera, et satis copiose a nobis refutatum, in disputatione de Merito et Satisfactione.

CAPUT XIII.

Solvuntur objectiones ex Patribus.

Ex Patribus et historia antiquitatis multa colligit argumenta Kemnitius, contra meritum jejunii; sed magna ex parte tam sunt inepta, et levia, et mendaciis undique as-

persa, ut pigeat in iis referendis vel refellendis tempus terere. Pauca quædam attinam, quæ graviora visa sunt.

Primum igitur ex Ignatio duo loca producit. Primum est in epistol. ad Heronem, ubi sic loquitur Ignatius: « Jejunis et orationibus vacato, sed non immodice, ne te ipsum destruas, a vino et carnibus non penitus abstineto, neque enim abominabilia sunt. » Et infra: « Quicumque dicit aliquid contra ea, quæ mandata sunt, etiamsi fide dignus sit, etiamsi jejunet, etiamsi propheta, etiamsi signa faciat, lupus tibi habeatur sub ovis pellè, ovium existium machinans ».

Alter locus est in epistol. ad Philippenses: « Si quis in reliquis recte sentiat, ex cibis autem quosdam vocet abominabiles, ille inhabitatorem habet draconem Apostatam ».

Ex his locis Kemnitius ita colligit: « Fuerunt igitur, inquit, Ignatii tempore circa annum 110. qui a cibis quibusdam, maxime a carne et vino sub specie religionis abstinuerunt, et immodicis jejuniis corpora læserunt, etc. ». Quibus verbis Carthusienses, aliosque Catholicos Monachos reprehendit, qui carnibus nunquam vescuntur.

Sed facilis est responsio. Nam Ignatii doctrina sanctissima est, et ab omnibus Catholicis libenter admittitur. Non enim sanctus Ignatius illos reprehendit, qui propter continentia virtutem semper a vino et carnibus abstinent, sed eos, quid id faciunt, quod vinum et carnes res immundas esse arbitrentur, quales fuisse ipso Ignatii tempore Ebionitas, ex Epiphania constat.

Id autem ita esse, probatur primo, quoniam alioqui S. Jacobum Apostolum, Ignatius reprehendisset, qui teste Egesippo apud Eusebium, lib. ii. historiarum, cap. 22. a carnibus et vino perpetuo abstinebat. Quod idem commune fuit omnibus illis sanctis Anachoretis, Antonio, Hilarioni, Machario, Simeoni Stilitæ et aliis, quorum laudes Athanasius, Hieronymus, Palladius, Theodoretus et alii veteres conscripserunt.

Præterea, sanctus Ignatius cum dicit, non esse a vino et carnibus abstinentium, quia non sunt abominabilia, aperte docet, tunc esse malum a vino et carnibus abstinere, cum aliquis propterea illis abstinere, quod abominabilia esse credat.

Denique, sicut reprehendit Ignatius pro-

hibentes cibos, sic reprehendit prohibentes nuptias, sic enim loquitur in epistol. ad Philadelphenses, in ipso loco, quem citat Kemnitius: « Si quis in reliquis recte sentiat, sed legitimam commixtionem, et liberorum procreationem, corruptelam et pollutionem appellet, aut cibos quosdam abominabiles vocet, talis Apostatam Draconem inhabitantem habet ». Nam Ignatii tempore sicut Ebion carnes immundas, sic Saturninus nuptias a Diabolo esse dicebat.

De nuptiis autem non detestandis, ita S. Igoatius loquitur, ut perpetuam virginitatem etiam laudet et nuptiis anteponat. Sic enim scribit in eadem epistol. ad Philadelphenses: « Virgines Christi in puritate, non abominantes nuptias, sed id quod præstantius est amplectentes etc. ». Et in epistol. ad Philippenses: « Si quis, inquit, caste, si quis continenter vivit, non extollatur, ne perdat mercedem ».

Sic igitur Ignatius cibos omnes mundos esse docet, et nullum vitandum, quasi immundum, non tamen prohibet, quo minus quis continentiae gratia semper jejuset, aut semper a vino et carnibus absterneat, nisi forte certa de causa alicui magis expediat, aliquando saltem vinum et carnes degustare. Sic enim Apostolus Timotheum admonet, ut propter stomachi sui debilitatem non semper aquam bibat, sed modicum vinum illi adjungat, et noster Ignatius Heroni præcipit, ut non omnino vini potum et carniarum cibum respuat. Cum enim tunc primum exorta esset hæresis, quæ prætextu religionis vinum, et carnes detestari docebat, utile erat multis, ut Hero, qui persona erat publica, hæresim illam exemplo suo refelleret. Nec tamen inde sequitur, ut non debuerit Hero in Quadragesima, aliisque jejunii diebus a carnibus absterne.

Secundo loco profert Kemnitius historiam Alcibiadis, quam etiam attingit Philippus, in locis tit. de Scandalo. Summa historiae hæc est, ut eam refert Eusebius lib. v. cap. 3. Alcibiades quidam assueverat vitæ admodum austeræ, ut nihil præter panem et aquam in cibum et potum sumeret. Is propter Christi fidem in carcerem conjectus, ubi simul aderant Attalus, Maturus, Blandina et alii Confessores, id ipso etiam carcere nihil omnino præter panem et aquam gustare volebat. Interim Attalo divinitus indicatur, non recte agere Alcibiadem, quod creaturis Dei non uteretur, et inde scanda-

lum in mentibus aliorum gigneret, quare Alcibiades a fratribus admonitus, omnibus cibis promiscue uti cœpit. Hanc historiam ita Philippus et Kemnitius interpretantur, quasi Alcibiades a cibis absterneret opinione cultus et vitæ perfectioris. Et hoc ipsum Attalo divinitus revelatum fuerit, Alcibiadis abstinentiam ideo non placere Deo, et scandalum in aliis gignere, quod ipse censeret discrimen ciborum esse cultum Dei præstantiorem.

Sed nullo negotio res expediri potest. Nam in tota illa historia nulla fit mentio cultus præstantioris, sed simpliciter narratur, ex divina revelatione cognitum fuisse Alcibiadem non recte facere, quod creaturis Dei non uteretur, deque ea re cæteros fratres non leve scandalum pati. Ex qua narratione colligitur satis probabiliter, suspicatos esse fratres, qui cum Alcibiade in carcere erant, illum hæresi damnantium cibos, ut immundos, infectum fuisse. Habuerunt autem occasionem hujus suspicionis, ex eo, quod cum prudentia Christiana doceret, homines in carcerem conjectos, et fere quotidie variis tormentis vexatos ac debilitatos indigere aliqua refectioe majori, et ea non deesset, ipse tamen in sua illa severissima abstinentia perseverare vellet. Scribit enim Tertullianus in lib. ad Martyres, solitos fuisse Christianos, summa diligentia et charitate ministrare cibos etiam delicatos, confessoribus in carcere constitutis. Hoc igitur est, quod socios Alcibiadis offendebat, quod eum videret refectioe indigere, et eam tamen respuere. Inde enim suspicabantur, eum aliquo errore circa ciborum munditiam laborare.

At (inquit Kemnitius) « Alcibiades post admonitionem illam non cœpit illa opinione a cibis absterne, sed absque delectu cibis omnibus uti. Non igitur in eo solum errabat quod absternebat, quasi ab immundis ». Respondeo: Posset objectio in adversarium retorqueri; quoniam si Alcibiades reprehensus fuisset, quod absterneret propter opinionem cultus præstantioris, potuisset mutare opinionem, et ea mutata in abstinentia sua perseverare. Cæterum vera responsio est, non potuisse Alcibiadem se ab erroris suspitione purgare, nisi edendo promiscue cibos, quibus alii vescebantur, tum quia fratres, qui scandala passi fuerant, non poterant certiores reddi de opinione illius interna, nisi per actionem externam, tum et-

iam quia prudentia atque discretio (ut diximus) eo tempore postulabat, ut rigorem illum abstinentiæ relaxaret.

Omitto lapsum Philippi, qui scribit, Attalum et Blandinam conjuges fuisse, cujus contrarium ex ipsa historia manifeste colligitur. Blandina enim ancilla erat et virgo; Attalus vir nobilissimus et civis Romanus. Omitto item multa, quæ ex capite suo Kemnitius comminiscitur, ut quod fratres ex loco Apostoli, I ad Timoth. iv. opinionem Alcibiadis refutaverint, et alia, quæ ex ipso loco Eusebii inspecto per se evanescent.

Tertio profert Kemnitius historiam hæresis Tatiani, ut probet, sententiam nostram de merito jejunii natam esse ex errore Tatiani. Sed hoc supra refutatum est. Constat enim ex communi Patrum consensu, Tatianum prohibuisse cibos aliquos, propterea quod immundos natura sua esse censeret, et ideo nunquam eos gustari voluisse. Quod longissime abest ab Ecclesiæ doctrina.

Quarto, producit librum Tertulliani de jejuniis, in quo Tertullianus Montanum hæresiarcham defendens, dicit, jejunium ac delectum ciborum esse utilem ad merendum, ad satisfaciendum, ad placandum Deum. Et contra objicit sibi Catholicorum refutationem, qui proferebant Scripturas Isaie: *Non hoc est jejunium quod elegi*; Et Evangelii: *Quod intrat in os non coinquinat hominem*. Et Apostoli: *Esca nos non commendat Deo*. Ex quibus colligit Kemnitius, sententiam nostram de merito jejunii consentaneam esse doctrinæ Tertulliani et Montani hæresiarchæ, et alienam a doctrina veteris Ecclesiæ, quæ Tertullianum Montanumque damnavit.

Respondeo: Jam supra diximus, Tertullianum non bona fide recitare doctrinam Catholicorum. Catholici enim non reprehendebant Montanistas, quod jejunia et ciborum delectum ad meritum, et satisfactionem valere existimarent, sed quod ita superstitiose Xirophagias urgerent, ut viderentur summam religionis in eo ponere, si nihil nisi erudum et aridum comederent. Hæc enim sunt verba Tertulliani: « Arguant, inquit, nos, quod Xirophagias observamus, siccantibus cibum ab omni carne, et omni virulentia, et vividioribus quibusque pomis, ne quid vinitatis, vel edamus, vel potemus ». Hæc certe superstitiosam diligentiam demonstrant, et ideo Catholici non sine causa Scripturas allegabant: *Non hoc est jejunium quod*

Tom. VI.

elegi. Quod intrat in os non coinquinat hominem. Esca nos non commendat Deo. Alioqui fuisse in Ecclesia catholica usum jejunandi in pane et aqua, fatetur in eodem libro Tertullianus, et jejunium, atque abstinentiam a certis cibis meritoriam esse, Patres omnes docent.

Quinto, profert Kemnitius historiam hæresis Eustathii: « Eustathius enim, inquit, Kemnitius, a carniarum esu absterne docuit, non quod cum Manichæis eas immundas et abominandas judicaret, sed propter exercitationem cultus divini ». Id quod probat ex Sozomeno lib. iii. cap. 13. qui scribit, ipsum Eustathium, in Concilio Gangrænsi se declarasse, *οὐκ ἀσκήσεως ἕνεκα, ἀλλὰ τῆς κατὰ Θεὸν ἀσκήσεως*, id est, non contumaciæ gratia, sed cultus erga Deum abstinentiam illam instituisse. Concilium autem Gangræense nihilominus Eustathii sententiam damnavit; igitur damnavit jejunia et abstinentiam, quæ suscipitur cum opinione cultus et meriti apud Deum. Colligit etiam ex hoc loco Kemnitius, nondum fuisse illo tempore in Ecclesia prohibitionem carniarum in diebus jejuniorum, sed tentatam quidem fuisse ab Eustathio, sed ab Ecclesia continuo repressam.

Respondeo: Eustathii hæresim non possumus melius cognoscere, quam ex Gangrænsi Concilio, quod illo ipso tempore celebratum est. Sic igitur loquitur Concilium in ipsa præfatione: « Declaratum, inquit, est hos (nimirum Eustathianos) nuptias accusare et docere, quod nullus in conjugali positus gradu spem habeat apud Deum ». Et infra: « Jejunia, quæ in Ecclesia prædicantur contemnenda asseruisse. Nonnullos eorum etiam cibos carniarum tamquam illicitos reputasse ». Deinde in canonibus, can. 1. « Si quis vituperat nuptias etc., Anathema sit ». Et can. 2. « Si quis carnem edentem præter sanguinem, et idolis immolatum et suffocatum, cum religione et fide, condemnat, velut spem propter hujusmodi perceptionem non habentem, anathema sit ».

Ex his manifeste colligitur, ab Eustathio, ejusque discipulis nuptias, et carniarum esum absolute fuisse damnata, ita ut salvum esse non posse crederent, qui nuptias contraheret, aut carnes ullo tempore degustaret. Quæ est ipsa hæresis Manichæi, quoad substantiam, quamvis fortasse non ex eodem fundamento Manichæus et Eustathius hanc hæresim fabricaverint.

Manifestum quoque est, Eustathium a

Concilio damnatum, non quod a nuptiis, vel carnis esu, propter cultum Dei perfectiorem, abstinendum esse diceret, sed quod absolute nuptias, carnisque esum, ut res illicitas Christianis (ut diximus) repudiaret. Nam idem Concilium, Can. 9. et 21. Virginitatem et continentiam recipit et laudat.

At (inquit Kemnitius) « Eustathius (Sozomeno teste) dabat operam vitæ severæ, et in Concilio Gangrensi professus est, se non contumaciæ gratia, sed ob cultum Dei abstinentiam illam introduxisse ».

Respondeo: Ita est, sed idem Sozomenus addit, Eustathium ob amorem vitæ severioris in absurdas opiniones incidisse. Itaque non abstinentiam ob cultum Dei, sed absurdas illas opiniones Concilium damnavit.

Quod vero Kemnitius dicit, nondum eo tempore interdictum fuisse carniæ esum in diebus jejuniorum, merum est ipsius figmentum. Eustathius enim non arguitur aut damnatur, quod carnes comedi noluerit in diebus jejuniorum, sed quod absolute carniæ esum illicitum esse dixerit: interdictum autem illo tempore fuisse Christianis carniæ esum, cum jejunia celebranda erant, ac potissimum in Quadragesima perspicuum est ex historia Spiridionis, quam supra tractavimus. Spiridion enim Eustathii æqualis fuit, aut etiam paulo antiquior, et tamen eo tempore scimus ab homine Christiano repudiatas fuisse carnes in Quadragesima, eo nomine quod Christianus esset. Vide eundem Sozomenum lib. 1. cap. 11.

Sexto profert Calvinus lib. iv. Institution. cap. 12. § 19. locum unum S. Augustini, ex lib. xxx. contra Faustum, ubi dicit, ab Augustino refelli delirium Manichæorum, apud quos in magno honore erant, qui abstinebant a certis cibis, quasi abstinentia illa sit opus Deo gratum.

Respondeo: S. Augustinus non refellit Manichæos, quod in magno honore haberent a carnibus, abstinentes; sed quod putarent, carnes natura sua esse immundas. Id quod probat, quoniam etiamsi apud Manichæos soli sacerdotes a carnibus abstinerent, tamen plebi carniæ esus, non tam ut licitus concedebatur, quam ut illicitus indulgebatur: « Auditoribus, inquit, vestris, quos tamquam distinctos a genere sacerdotum dixistis, secundum veniam hæc edenda conceditis. Neque enim conceditur secundum veniam, nisi peccatum ». Et infra: « Hoc animo, hac voluntate, hac opinione ab escis hujusmodi tem-

peratis, quod non significatione, sed natura malæ et immundæ sint ». Adde quod Faustus Manichæus non solum dicit, perfectos apud Manichæos a carnibus abstinere, quem locum notavit Calvinus, sed etiam dicit, apud Catholicos in magno pretio haberi, qui carnibus semper abstineant. Sic enim loquitur cap. 3. « De vobis vero quid dicam, id est, de Christianioribus apud vos, quorum nonnulli quidem porcina, plerique vero quadrupede omni, alii etiam cuncto animali penitus abstinent, fertque ob hoc in oculis eos omnis Ecclesia, et summa cum veneratione suscipiæ solum non Deos existimat ». Quod testimonium S. Augustinus non reprobatur, sed approbat, ut perspicuum est ex quinto capite.

CAPUT XIV.

De origine et institutione jejunii quadragesimalis.

Quinta restat pars disputationis de jejunio, quæ est de variis temporibus, in quibus ab Ecclesia sunt instituta jejunia. Ac primum de jejunio Quadragesimæ, quod est omnium maximum et celeberrimum, tria tractanda sunt, de origine et institutione, de rationibus institutionis, et de varietate.

Quod attinet ad primum, tres falsæ opiniones de origine Quadragesimæ refellendæ sunt. Prima est Hæreticorum omnium hujus temporis, qui docent, Quadragesimam post tempora apostolorum ex quadam superstitione et perversa imitatione Christi paulatim irrepsisse. Ita Joannes Calvinus lib. iv. Institut. cap. 12. § 20. Magdeburgenses cent. 1. lib. ii. cap. 10. col. 577. Kemnitius in 4. part. exam. et alii. Probat autem id Kemnitius in 4. part. examin. pag. 581. ex testimonio Irenæi, apud Eusebium lib. v. cap. 24. Sic enim loquitur Irenæus: « Quidam unum diem ante Pascha jejulant, quidam duos, alii plures, alii quadraginta, diurnas et nocturnas horas supputantes pro die. Et hæc diversitas non jam nostra ætate primum cœpit, sed longe ante, illorum scilicet tempore, qui ante nos fuerunt, qui ut conjectura assequi licet, non accurate consuetudinem eorum, qui vel simplicitate quadam, vel privata auctoritate in posterum aliquid stitissent, observarunt. »

Ex hoc loco quinque memorabilia Kemnitius colligi jubet. Primo, tempore virorum

Apostolicorum fuisse diversas et varias observationes, non certas et stas leges de jejuniis. Secundo, jejunium Quadragesimæ fuisse vulgarem consuetudinem, non mandatum, aut traditionem Apostolicam. Tertio, consuetudinem illam introductam privata auctoritate a simplicibus hominibus, non ex totius Ecclesiæ, aut Apostolorum institutione, et præscripto. Quarto fuisse, qui in posterum tempus aliquid statuerint de forma jejunii, sed (ut dictum est) ex privata sententia et devotione. Quinto, viros Apostolicos ejusmodi consuetudinem non accurate observasse, propterea quod scirent ex quadam simplicitate a privatis hominibus introductam.

Sed hoc argumentum Kemnitii duplici ratione refutari potest. Primum enim si verba ipsa Irenæi diligenter excutiantur, facile apparebit, eum auctorem non loqui de institutione jejunii Quadragesimalis, sed solum de forma jejunandi, id est, quamdiu oporteat jejunantes manere impastos, unone die, an duobus, an pluribus. Sed verba Græca adscribamus ex correctissima Roberti Stephani editione. Οὐδὲ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἶδους αὐτοῦ τῆς νηστείας. Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν ἀνοθεῖν νηστεύειν· οἱ δὲ, δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας, οἱ δὲ, τσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Hæc verba si reddantur simpliciter, ita sonabunt latine. « Neque enim solum de die (Paschæ videlicet) est dubitatio, sed etiam de specie ipsius jejunii. Quidam enim existimant unam diem oportere se jejunare, quidam duas, quidam etiam plures. Quidam quadraginta horis diurnis et nocturnis metiuntur suum diem ». Hoc est, alii continent jejunium, nihil omnino comedentes unum diem, alii duos, alii plures, tres videlicet, aut quatuor, aut quinque, aut sex, integram nimirum hebdomadam. Alii quadraginta horis diurnis et nocturnis metiuntur suum diem, jejunii videlicet. Manent enim sine cibo quadraginta horis diurnis et nocturnis, quæ tametsi fere duos dies continent, tamen ipsi pro uno die accipiunt.

Hanc esse veram explicationem, probamus primo ex ipsis verbis Græcis, quæ non possunt simpliciter reddi, quam a nobis reddita sint.

Secundo, quia non dicit Irenæus, dubitationem esse de jejunio Quadragesimæ, sed de specie et forma jejunii. Proinde non erat in controversia apud viros Apostolicos, utrum

servandum esse jejunium quadraginta dierum ante Pascha; id enim pro comperto omnes habebant: sed quomodo servandum esset.

Tertio, confirmatur a simili. Scribit enim Irenæus non solum de die Paschæ, sed etiam de forma jejunii controversiam esse. At de die Paschæ non erat quæstio, utrum dies Paschæ celebrandus esset, sed utrum dies Paschæ esse posset solum dies dominicus, an quicumque dies hebdomadæ. Sic igitur de jejunio paschali, sive Quadragesimali non erat quæstio, an servandum esset, sed qua forma servandum esset.

Quarto incredibile videtur tantam fuisse aliquando varietatem jejunii paschalis, ut aliqui putarent, jejunium illud constare unico die tantum, aut duobus, alii quadraginta diebus: et incredibilius est jejunium illud quod Quadragesimæ nomen semper Non igitur de diebus Quadragesimæ, sed tempore vel duobus, habuit, potuisse definiri uno die, continuandi jejunium sine omni cibo, loquitur Irenæus.

Quinto, quoniam revera semper fuit apud veteres varia consuetudo continuandi jejunium. Scribit enim Philo in lib. de vita theorica supplicum, viros illos adeo amasse jejunium, ut aliqui triduum, aliqui sex dies sine cibo transmitterent. Sanctus Ephiphanius in compendiarie doctrina scribit, suo tempore fuisse adhuc in Ecclesia ejusmodi varietatem, ut aliqui ad solis occasum jejunium solverent, alii biduum, aut triduum, aut integram hebdomadam sine cibo traderent. Similia referunt S. Hieronymus in epist. ad Marcellam, de laudibus Asellæ, et S. Augustinus in lib. 1. de moribus Ecclesiæ, cap. 33. neque desunt etiam hodie, præsertim apud Græcos, qui ad initium et finem Quadragesimæ tres dies, aut quadraginta horas impasti transigant. Cujus formæ jejunandi habentur exempla in divinis litteris, Esther. iv. Tob. iii. et Actor. ix. Hanc autem formam jejunandi sine ullo cibo plures dies, libenter admittimus, semper liberæ fuisse consuetudinis, neque unquam ab Apostolis, aut aliis Ecclesiæ præsulibus imperatam. Ex quo sequitur, ut quinque illa memorabilia Kemnitii ad rem nihil pertineant.

Quamvis autem id quod jam diximus, verissimum esse credamus: tamen quoniam tum Ruffinus, tum Christophorus, tum alii locum hunc Irenæi ad Quadragesimæ varietatem retulerunt, adferemus alteram rationem, cur Kemnitii argumentum nihil